



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

10. An aliqua ratione filius spurius per interpositam personam possit bona patris capere, & possidere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

vidua honeste viuente. At vero, iure Pōtificio spurij filij dicuntur ij omnes, qui nati non sunt ex complexu viri, & femine, inter quos possit matrimonium esse eo tempore, quo filius est conceptus, vel natus. Vnde multi, quos ius civile spurios nominat, iure Pontificio non spurij, sed naturales habentur. Tales sunt nati ex hera soluta, & proprio seruo; item nati ex soluto viro, & vidua vel virgine omni vinculo soluta; item ex viro soluto, & ex scorto, vel metatrice, vel illustri femina soluta: quia cum his vir solutus tempore concepti, vel nati filij, si matrimonium contraheret, iure quidem Pontificio valerent; quamuis non semper iure civili valeat. Couarruias in epitome par. 2. cap. 8. §. 5. num. 18.

CAP. IX.

De successione filiorum spuriorum in bonis parentum.

Primo queritur, Quo modo spurij filij patri ex testamento, vel ab intestato succedant? Respondeo, nec ex testamento, nec ab intestato, nec villo contractu inter vivos, aliquam bonorum partem posse capere filios spurios. *Authent. Quibus modis naturales efficiuntur sui, §. vlt. C. l. i. C. licet patri, C. de Naturalib. liberis.* Sic enim ius civile, communis sententia Doctorum interpretatur. Quod si pater filio spurio aliquid relinquat, id legis auctoritate filij legitimus, vel cognatus propinquioribus debetur, quia filius spurius capax non est. Ita Bartolus, Baldus, Salicetus, Iason, Alexander, quos citat, & sequitur Couarruias in epitome par. 2. cap. 8. §. 5. num. 3. Fiscus item ea bona relicta sibi vendicat, nisi consanguinei intra duos menses illa ab spurio repetant. Eadem ratio est, teste Couarruias, si pacto, vel renuntiatione consanguinei excludantur.

Secundo queritur, Quo modo filij spurij matri intestatæ, vel testanti succedant? Respondeo; Aut filius spurius natus est ex damnato concubitu, aut fecus. Item, aut mater est illustris, aut abiecta & humilis fortis & conditionis. Si natus sit ex complexu damnato, non succedit matri, siue intestatæ, siue testanti, siue illustri, siue ignobili, & vulgari. Est igitur hic omnis hereditariæ successione, siue paternæ, siue maternæ, tum ex testamento, tum ab intestato penitus expers. *l. vlt. C. de naturalib. lib. §. vltimo.* Sic habet communis sententia Iuriscōsultorum, vt probat Couarruias loco citato. num. 16. ex l. penult. C. ad Orficiam, C. in Inst. §. penult. ad Senatūconsultū. *Orficiam*: Filius vero spurius qui natus non est ex congressu damnato, si mater eius sit illustris, et minime succedit ex testamento, siue ab intestato, si filios legitimus habeat. *l. penult. C. ad Senatūconsultū. Orficiam.* & Glossa in Inst. de Senatūconsultū. *Tertulliano §. vltimo.* Si vero mater sit infimæ fortis, & conditionis, succedit ei simul cum legitimis filijs. Item succedit matri illustri, si nullus filios legitimos habuerit. Ita etiam communis opinio teste Couarruias in eo loco quem superius assignauimus, num. 15. ex l. si qua illustris. C. ad Senatūconsultū. *Orficiam.*

Tertio queritur, An nepos ex filio spurio possit auo ex testamento succedere? Hanc opinionem, quæ vulgata est inter Iuris civilis Interpretes, tractat Cardinal. Palæotus in lib. de Nethis filijs cap. 53. Respondeo, nepotem siue legitimum, siue naturalem ex filio spurio, posse ab aue hæredem institui, deficienti prole legitima. Hæc est communis sententia, vt docet Corneus *consil. 1. in lib. 3.* & Iul. Clarus lib. 3. *sententia §. testamentum q. 31.* & locum habet in iure communi, nisi speciali iure, statuto, vel lege prohibeatur auis nepotem ex filio spurio hæredem instituire, vel aliquid ei ex testamento relinquere. Item locum habet, dummodo auis non instituat nepotem hæredem causa filij spurij, sed causa tantum ipsius nepotis. Tunc autem instituit causa filij, cum id facit, vt filius spurius vsum fructum, vel aliquod emolumentum habeat ex bonis nepoti relicto. At non censetur nepos in dubio, patris gratia institutus. Hæc Bartoli est, ceterorumque

Azor. Inst. Moral. Pars 2.

omnium sententia, teste Couarruias in loco proxime dicto, num. 13. quamuis Cynus, Baldus, & alij contrarium omnino docuerint, vt ait Cardinal. Palæotus in loco citato: ea adducti ratione, quod cum nepos à filio spurio descendat, non potest non eadem maculam, vt pote à vitiosa radice conceptam, secum trahere. Sed Bartoli opinio in hac parte valuit. Ex quo efficitur, vt extante prole legitima, non possit auis talem instituire hæredem.

Sed quid dicendum, quando proles sit legitima rescripto, & priuilegio Principis? Respondeo Couarruias idem iuris esse, quod est de prole per naturam legitima. Consequens etiam est, quod Couarruias ait, præfatam institutionem hæredis, etiam deficienti prole legitima, nullam vim habere, si constet gratia patris nepotem esse institutum.

Quarto queritur, Quo modo succedant filio spurio parentes, & alij ascendentes? Respondeo ex communi sententia, mutuas esse in hac successione causas. Dec. *consil. 31. Alexand. consil. 174. in §. volum. C. consil. 150. in 2. volum.* Vnde sicut filij spurij parentibus succedere nequeunt, ita nec parentes, nec alij ascendentes succedere spuris possunt. Item vt spurij matri succedere non possunt, si nati sint ex damnato concubitu, ita nec mater illis succedit. In iis vero casibus, in quibus spurius potest patri, vel matri succedere, succedit quoque pater, vel mater illi. Abbas in cap. tanta, qui filij sunt legitimi.

Quinto queritur, Quo modo fratres spurij sibi inuicem succedant? Respondeo; si veterini fuerint, sibi inuicem succedunt ab intestato, quamuis ex damnato complexu extiterint, vt ex communi sententia tradit Couarruias in eo loco, quem paulo ante protulimus, num. 19. Idemque iuris est de alijs consanguineis ex parte matris; nam sibi inuicem succedunt, quo propinquiores sunt. Secus est de fratrib. spuris, qui veterini non sunt, & de consanguineis eorum ex parte patris: nec enim sibi inuicem succedunt ab intestato, quamuis rescripto, & priuilegio Principis sint effecti legitimi. Ita communis sententia apud Couarruiam eodem in loco, num. 19.

CAP. X.

An aliqua ratione filius spurius per interpositam personam possit bona patris capere, & possidere.

Primo queritur, An filius spurio possit pater hæredem aliquem substituere substitutione vulgari, siue fideicommissaria? Respondeo, minime: ita docet Couarr. in epitome p. 2. c. 8. §. 5. num. 3. & 4. ex communi sententia, num. 3. & 4. Leges enim & iura voluerunt, ne spurius filius bonorum paternorum capax villo modo sit. Vnde non refert, an spurius à patre bona accipiat, an ab alio ex patris voluntate & institutione: quoniam substituendus fideicommissaria substitutione accipit bona à principali testatore. Ex quo fit, institutum hæredem, & rogatum à patre, vt instituat hæreditatem filio spurio, non posse illam hæreditatem aliquo modo restituere spurio filio testatoris, qui cum hæredem instituerat, adiecit fideicommissaria substitutione. Eadem quoque ratione spurius non potest patri substitui vulgariter. Couarr. loco citato, num. 4. ex communi sententia.

Rogabis, an pater possit filium spurium substituere filio legitimo impuberi substitutione pupillari. Respondeo, posse quod eadem in iis bonis, quæ pupillus alius de habet, quam à patre; non tamen posse in iis bonis, quæ pupillus habet à patre. *l. si is, qui. ff. de vulgari. C. pupill. substitutione.* Ratio vtriusque est, quia spurius bona patris habere non potest; attamen potest habere bona fratris. Bartolus in *l. prædicta si is, qui. Syluester in verbo, filij. q. 4. dicto 4.* Sic et communis sententia apud Couarruiam loco superius allato num. 4.

I

Secun-

Secundo queritur, quid sit dicendum, quando testator instituit heredem, & rogat eum, vel fidem accipit ab eo, ut restituat hereditatem arbitrato suo, cui, vel quibus voluerit, hæres tunc potest hereditatem restituere filio spurio testatoris? Hanc questionem tractat Cardinalis Palæot. *de noth. & spur. filijs. cap. 44.* Quidam negant posse id fieri. Sic Bartolus in l. *ultima C. de his, quibus ut indignis Cast. in l. Lucius §. ultim. ff. de legat. 1. Cæpolla. caut. 38.* propterea quod à testatore, propter illa verba, capere videatur. Alii vero concedunt, quia tunc filius spurius, si ad eum hereditas peruenerit, non habet à patre, sed ab hærede instituto. Nam quamuis pater sibi heredem obligauerit, ut alteri hereditatem restitueret, ei tamen liberum reliquit, ut quem ipse mallet, eligeret. Potuit igitur spurium alius præferre. Sic Bal. *consil. 242. in 2. Corn. consil. 236. in 2. volu.* Hoc tamen locum habet, aiunt illi, in foro conscientie; nam in Iudiciali, fraus legi facta putabitur, si is, cui pater filij bona sua donauit, statim, vel ex intervallo temporis ea spurio reddiderit. Ita Couarruias in loco superiori questione citato, num. 5. Mihi magis prima sententia probatur. Cum enim quid ex necessitate, & præcepto alterius sit, id non ab eo, qui facit, sed ab eo, qui id ita fieri præcepit, actum censetur.

Tertio queritur, Quid dicendum sit, quando quis aliqua bona accipit donatione, vel testamento, & fidem donatori, vel testatori dat, ac promittit se illa bona filio spurio donatoris, vel testatoris redditurum? Sotus *lib. 4. de iustitia. q. 5. ar. 1. ad quartum argumentum*, docet iure communi ciuili parentes non prohiberi extra testamentum aliquid filiis spuris, aut in vita donare, aut in morte relinquere. Sediure inquit, speciali alieubi prohibentur parentes filiis spuris, si fuerint filii Clericorum, vel Monachorum, vel Religiosorum, quidquam donare.

Cæterum longe verius est, quod respondet communem sententiam secutus Couarruias in eodem loco, num. 7. *Et seqq.* Primo, filium spurium tuta conscientia non possit, ea patris bona relicta obtinere, quoniam iustissima lege eorum bonorum capax non est, & ideo etiam ante vltimam Iudicis declarationem, siue sententiam, restituere debet legitimis hæredibus ab intestato venientibus, vel testamento institutis.

Quæres, an spurius tuto possit patris bona possidere, quæ ipsi tradidit is, qui data fide patri promissit se, ea bona filio spurio traditurum? Respondeo eum Couar. *loco prædicto, num. 8.* ex communi sententia distinguendo: Vel ea bona habet ab illo, cui pater dedit ob datam fidem patri, atque tunc tuta conscientia nequit retinere, quia tunc habet ex institutione, & voluntate patris. Vel habet ea simpliciter ex voluntate illius, cui dedit pater, & eatenus illa potest possidere: nam quamuis ille contra legem grauius peccauerit, eum promissit ea se filio spurio redditurum, non tamen ob fidem datam, eo ipso ea bona amisit, immo eorum est factus dominus, ac propterea tanquam verus dominus potest ea bona donare, cui voluerit: ergo si donec spurio, acquirat sibi spuris ea, non donatione patris, sed donatione veri domini.

Dices: eo ipso quo ille suam fidem testatori obligauit, est bonis datis priuatus. Respondeo, posse filicum ea bona sibi vendicare, & capere ab eo: sed donec condemnetur, eorum bonorum dominium habet.

Quarto queritur, An qui institutus est hæres sub fide data, qua promissit filio spurio hereditatem redditurum tuta possit conscientia sibi retinere hereditatem: an potius fisco, & legitimis hæredibus debeat cedere? Sotus *lib. 4. de iustitia, q. 5. ar. 1. in 4. argumento ad finem*, sentit ante vllam Iudicis sententiam, & condemnationem delicti debere restituere legitimis hæredibus ab intestato: quod si illi non extent, pauperibus, quia hæres sic institutus, capax hereditatis non est: Fisco vero non debet, nisi criminis condemnetur. Bartolus in l. *ultima. ff. De his, quibus, ut indignis: Puto*, inquit, *saluaratione Theologorum,*

legaliter loquendo, quod hæres si a institutus, tenetur dare fisco, secundum conscientiam: neque potest dare spurio, vel retinere sibi: quod pater, quia retinendo, est possessor mala fidei. Id autem quod non est ex fide, peccatum est. Sic ille. Idem affirmant alii, quos refert Couarruias in loco citato, num. 9. Et videtur esse hæc sententia communis Iurifconsultorum.

Sed verius existimo, quod tradit Couarruias, num. 8. & 9. heredem posse tuta conscientia sibi hereditatem retinere ante Iudicis sententiam, qua fisco illa addicatur: quoniam quod hereditas fisco deferatur, leges, & Iura statuerunt in poenam criminis: at poena non debetur, nisi condemnato delicto. Vnde non idem iuris est de hærede, quod de filio spurio, si hereditatem accepisset: spurius enim, hereditatis capax non est, & ideo debet eam restituere ante Iudicis sententiam, legitimis hæredibus testatoris: hæres vero institutus, per leges non est factus inhabilis ad hereditatem, tamen contra leges grauius peccauerit, quia promissit se hereditatem spurio traditurum. Nec verum est, quod ait Bartolus, illum heredem esse male fidei possessorem: quia tuto possidet, quousque Iudicis sententia condemnetur: crimine vero condemnato retrahitur sententia, vsque ad diem commissi sceleris, & aufert ab eo fiscus hereditatem, & omnes fructus hereditatis exantes.

Obijcies id quod habetur in l. *Prædonis. ff. De petitione hereditatis*, quæ sic ait: [Prædonis loco intelligendus est is, qui tacitam fidem interposuerit, ut non capienti [id est, ei, qui capax non est] restitueret hereditatem] at prædo ante Iudicis sententiam restituere, ipso naturali, & diuino iure compellitur. Respondent Glossa *ibidem*, & Couarruias *loco prædicto*, in ea lege heredem non dici prædonem, sed loco prædonis habendum, quia videlicet potest sententia Iudicis condemnari.

Si roges id quod Bartolus querit, An supra dictus hæres interrogatus à Iudice, num fidem præstiterit testatori de hereditate reddenda filio spurio, veritatem confiteri cogatur. Respondet Bartolus *ibidem*, quem multi alij Iurisperiti teste Couarruias *loco citato* sequuntur, eum cogi, tamen nec infamia, neque semiplena probatio præcesserit. Sed verius est, quod docet Couarruias in eodem loco, quem dixi, nullo eum iure compelli ad id consentendum, quia occultum est crimen, nec vlla infamia, neque semiplena probatio antecessit: & proinde contra, vel præter ius de crimine rogatur.

Rursus quæres, An præfata hereditas ad ciuilem & secularem fiscum pertineat, & non ad Ecclesiasticum. Teste Couarruias communis est sententia, ad fiscum ciuilem pertinere, si talis hæres sit laicus, quamuis testator, & filius spurius Clerici sint, contra vero, fisco Ecclesiastico deberi, si hæres sit Clericus, tamen si testator & filius spurius sint laici. Idque ratio ostendit, quoniam huiusmodi poena est in heredem constituta, quia fidem dedit, qua promissit se hereditatem filio spurio redditurum.

Quinto queritur, Quid sit dicendum, quando pater bona sua relinquit extraneo absque vlla conditione & pacto, ut eam, vel partem filio spurio restituat, concepta tamen spe, qua credit & sperat, ipsum ea bona restituaturum. Respondet Couarruias *loco citato*, tuto illum posse sibi retinere, ac tuto etiam posse ea filio spurio tradere: quia non tradit ex debito bona patris, sed gratis ac liberaliter donat, ut sua: & hoc locum etiam haberi eo, qui ea bona acceperit, sciens sub ea spe esse sibi relicta, teste Couarruias.

Sexto queritur, Quid sit dicendum, quando duo patres, quorum vterque filium spurium habet, inter se ita conueniunt; si tu institueris heredem filium meum, aut dederis illi certam tuorum bonorum partem, ego vicissim instituum heredem filium tuum, aut dabo illi tantundem, quantum dederis filio meo: numquid hi filij ea bona tuto retinebunt sibi? Nauar. in *Tract. de spoliis Clericorum, §. vlt. n. 6. notab. 4. ad finem*, in nuete videtur, huius-

modi facta, & conuenta valere iure communi, nisi specialiter prohibeantur.

Mihi vero probabilius videtur, ea minime communi iure subsistere, & filios spurios restituere legitimis hæredibus ea bona debere. Nam quod filius eo modo accipit, videtur à patre suo accipere tanquam pretium, vel in locum bonorum, quæ daturum se promissit pater filio alterius: Quæ admodum si frater conuenisset cum alio in hunc modum: Vendo tibi hanc, vel illam rem, ea lege, vt reddas spurio meo filio pretium. Vel sic: Commuto hanc, vel illam rem cum alia tua re, ea conditione, vt non mihi, sed filio meo spurio reddas; non valent huiusmodi pactioes: sic etiam cum duo conueniunt ita: Institue tu hæredem filium meum, & ego tuum filium spurium vicissim hæredem instituum.

Septimo quæritur, Quid dicendum cum à testatore bona alicui relinquuntur, vt ei in pauperes, aut pios vsus distribuatur, licebit ne illi ea bona in suum filium spurium, tanquam pauperem conferre? Duæ sunt opinioniones: Prima negat, eo quod pater erga filium magis paterno affectu, quam vera in Deum pietate moueatur: deinde, quia non videtur testatoris voluntati satisfacere, quia is, qui executor testamenti relictus est, nihil ex bonis testatoris, debet in suam rem conuerrere: alioqui enim fur esset, non bonorum distributor. Sic Ancharanus *consil.* 436. *Alexand. in l. si is, qui ff. de vulg. & pupil. subtit.* Altera sententia affirmat id posse facere executores testamenti, eo quod pater testamenti executor, non sua bona, sed bona sui testatoris filio spurio dat & dar, ea tanquam pauperi, & egeni. Sic Paul. Castrensis, quem citat, & sequitur Syluester in *verbo filii, quæst.* 4. *dicto* 4. Hæc sententia probabilior videtur: dummodo pater, qui relictus est testamento executor, id bona fide faciat, omni fraude in legem remota.

Octauo quæritur, An spurij filij rescripto, siue priuilegio Principis facti legitimi, possint in bonis succedere paternis: Respondeo ex communi sententia, posse succedere vna cum alijs legitimis, dummodo sint legitimis natalibus restituti auctoritate eius, qui ad id habeat facultatem. Immo si pater filium spurium hæredem instituat sub ea conditione, si auctoritate Principis reddatur legitimus, tunc secuta legitimorum natalium restitutione, patris hæreditatem tuta conscientia poterit obtinere: quoniam is, qui capax non est, iure potest institui ad tempus, quo capere poterit dictam hæreditatem. *In tempus, ff. de hæredis institut.* & *Glossa in l. si cur, in principio, ff. Quib. modis ususfructus amittatur, Bal. Aretinus, Alexander, Decius, & alij, quos citat & sequitur Couarruias in epitome par. 2. c. 8. §. 5. num. 12. Iulius Clar. §. Testamentum, q. 31.*

Quæres, an valeat institutio, qua pater filium spurium hæredem instituit sub conditione, si post testatoris obitum Princeps legitimum reddiderit? Respondeo cum communi sententia, quam referunt Couarruias, & Iulius Clarus *locis supra citatis*, valere: quia institutio referatur ad tempus, in quo erit capax hæreditatis spurius.

Sed obiecit aliquis id, quod habetur in *l. si alienum §. in extraneis, ff. de hæredis institut.* vbi dicitur: in conditionalibus institutionibus oportere hæredem capacem esse tempore testamenti, mortis, & aditionis ad hæreditatem. Respondet Couarruias id locum habere in conditione extrinseca, non intrinseca, hoc est, in ea, quæ iure ipso intelligitur, qualis est hæc: (Cum capere poteris hæres.) Sic Baldus, & *Glossa in l. In tempus, ff. de hæred. institut.* Item communis est sententia teste Couarruias *loco citato*, si ita spurius fuerit à patre hæres institutus sub conditione. (cum capere poterit hæreditatem) vim habere institutionem, & interim, donec legitimorum iura spurius consequatur, posse spurium hæreditati iacenti curatorem dari, ita vt ea bona administret, ex *l. si quis instituitur hæres in diem, ff. de hæred. inst. & ibi Bald. & Angelus.*

Nono quæritur, An lege municipali statui queat, vt spurius filius capax sit successiois, vel donationis pater-

na? Respondet Couarruias *loco prædicto, nu. 6.* non posse. Ita etiam senserunt Baldus, Aretinus, Socinus, Decius, & communis opinio, vt ait eo loco Couarruias, sic Federicus Senensis *consil.* 277. At Cardinalis Palæottus *lib. de nobilitate spurijque cap. 54.* à communi opinione recedens, censet, id lege municipali, siue statuto posse constitui. Baldus sensit, teste eodem Cardinali, spurios, si non sint ex damnato congressu, posse parentibus succedere. Ioannes, & Gaspar Calderinus, vt ait idem Cardinalis, docuerunt, si nemo ascendentium, aut descendentium superesset, spurij posse successioem competere. Sed non est quod à communi sententia recedamus: quamuis ea effiaci ratione non comprobetur. Contrarium enim si statueretur, non pugnaret cum iure naturali, aut diuino, sed solum cum iure communi.

CAP. XI.

Quibus modis possint patres aliquid filiis spuris relinquere.

DE hac re Cardinalis Palæot. in *lib. de nobilitate, & spuris cap. 45.* Primo quæritur. An aliqua ratione pater possit filio spurio aliquid ex suis bonis tuta conscientia relinquere? Respondeo ex communi sententia ciuilius iuris Interpretum, filium spurium posse aliquid à patre turo consequi. in primis, si contrahat spurius omnium bonorum societatem cum patris filio legitimo & naturali, vel cum alio patris affini & coniuncto, & hæc deinde à patre hæres instituitur, poterit spurius dimidiam partem eius hæreditatis consequi. Bartol. in *l. Si is, qui ff. de liberat. legat. & Bal. in l. 1. C. Pro socio q. 15. Corsetus in singularibus, in verbo, Spurius, Ratio huius est, quia in societate contracta omnium bonorum inter duos, cum omnia bona sint facta communia, dimidia pars ad socium pertinet. *l. Si societatem uniuersorum ff. pro socio.* Et ideo sic inde, vt si talis socius spurij institutus sit hæres, ad spurium pertineat dimidia pars hæreditatis relicta, eo quod iure societatis ipsi debeatur. Nec est quod suspicemur, patrem idcirco ea bona reliquisse socio spurio, vt ad spurium dimidia pars perueniret: quoniam verisimile est, & si ea societas constata inter eos non esset, patrem institutum hæredem eum, quem nunc instituit, cum sit ei maxime coniunctus.*

Secundo quæritur, An si spurius religioni alicui nomen dederit, vel sacris Ordinibus fuerit iniunctus, possit à patre aliquid habere? Dec. *consil.* 576. concedit quidem Religiosum posse id habere, non tamen Clericum ad sacros ordines promotum: quia Clericus ex bonis Ecclesiæ potest commode sustentari. Sed id verius iudico, quod docet Marcellus in *singulari 273. versic. Limite etiam*, tum Monachum religionem professum, tum Clericum ad sacros ordines promotum, posse à patre bona aliqua habere, quia olim spurius Curia oblatus, eo ipso naturalibus restituebatur. Bald. *l. 1. C. de Sacrosan. Eccles. nu. 25. Iason: Authen. Licet, C. de liberis præter. nu. 4. Ruicus consil. 89. in 3. volumine.* Ergo non est cur negemus spurium, qui sese religioni dedicat, vel sacris ordinibus obstringit, habilem factum esse ad consequendum bonorum aliquid à patre: sic Cardinalis Palæottus *lib. citato cap. 45. nu. 6.*

Tertio quæritur, An possit pater spurium hæredem instituere, ea tamen lege, vt hæreditatem alteri restituat? Imola in *l. Si quis solidum, ff. de hæred. institut.* negat id fieri posse à patre: quia spurius, inquit, nihil à patre habere potest, ergo nec ad hæreditatem in alium conferendam habilis est. Alij vero concedunt id fieri posse, & probant ex *Glossa in l. eam quam, C. de fideicommiss.* Nam spurius sic institutus hæres, non sibi, sed alteri hæreditatem capit.

Mihi tamen hæc secunda sententia, quam sequitur Cardinalis Palæottus *lib. prædicto, nu. 9. ca. 45.* magis probanda videtur: præsertim si spurius tali modo institutus, hæreditatem espiat loco alimentorum, vt se commode sustentet, donec alteri restituat hæreditatem: quoniam, vt capite proxime sequenti dicam, filio spurio iure Canonico